

# SPECIMEN


## VNIVERSAE

# REI NUMMARIAE

# ANTIQUAE,

Quod  
Litteratorum Reipublicæ  
proponit

ANDREAS MORELLIVS,  
Helvetio Bernas.



LIPSIÆ,  
APUD J. THOMAM FRITSCH.

ANNO MDCXCV.

TAB. VI.



subnixi, nec turbis aut seditioni in eligendo Imperatore expositi, designantibus; in aliis Severus in suggestu cum filiis sedens sæcularia sacra administrans representatur; in aliis felicitas temporum gemino cornucopiæ cum spica intermedia denotatur. Ad hanc rerum abundantiam referendus hic nummus: spica enim & papaverum capita annonæ ubertatem indicant. Sic in alio nummo apud Trifstanum hæc temporum felicitas & annonæ ubertas Navi exprimitur, qua copia advectarum undique frugum notatur; siquidem Severus ex Africa & Aegypto in urbem vehi plurimum frumenti curavit. Qua de re Spartianus c. IIX. & XXIII. *Moriens septem annorum canonem, ita ut quotidiana septuaginta quinque millia modiorum expendi possent, reliquis; olei vero tantum, ut per quinquennium non solum urbis usibus, sed & totius Italia, qua oleo egeret, sufficeret.* De oris eius habitu, quem nummus præfert, idem cap. XIX. *Ipsè decorus, ipse ingens, promissa barba, cano capite & crisso, vultu reverendus.*

SEVERVS Pius AVGVSTVS Pontifex Maximus TRIBVNTIA Potestate X. COS. III. Caput Severi laureatum cum busto.

—ADVENTVS AVGG. Augustorum. Severus, Caracalla & Geta equis infidentes. Ex eodem Cimelio Cæsareo.

Refertur hic nummus inter Occo-  
nianos a Mediobarbo fol. 275. in alio au-  
reo Gazæ Schvvarzburgicæ Severus cum  
filiis equitans reperitur cum inscr. VIR-  
TVS AVGVSTORVM. Nimirum pluri-  
mas Severus expeditiones suscepit in Par-  
thos, Arabes, Osrohenos, Adiabenos,  
adversus Albinum, & alios: hinc etiam  
diversi eius adventus in nummis designa-  
ti, & diversi eorum typi. Ille qui in  
nostro exhibetur, pertinet ad adventum  
in urbem Severi & filiorum A. V. 954.  
A. C. 202. post confectum bellum Parthi-  
cum secundum, Severi Tribunitia pote-  
state X. & Consulatu III. ut inscriptio ca-  
pitis demonstrat. Nummus est integeri-  
mus; distinctas Augustorum facies de-  
monstrans: in medio Severus, qui a dex-  
tra habet Caracallam, a sinistra Getam.  
Caput Caracallæ laureatum est, quia in  
illa expeditione Parthica participem im-  
perii & Augustum dixerunt milites, &

Geta Cæſaris nomen accepit, quapropter caput eius nudum eſt. Occurunt quidem capita Cæſarum laureata in nummis, ſed rariora, & diſtinguenda ſunt tempora; prout in ipſo Opere trademus.

SEVERVS PIVS AVG. Caput Severi laureatum.

—IOVI VICTORI. Caput Jovis Ammonis directâ fronte.

Severus ex Africa oriundus, præcipuum patriæ Numen hoc nummo exprimi voluit, cuius ope plurimas ſe victorias obtinuiſſe credebat. De *Ammonis* autem cognomine, Jovi tributo, res nota eſt Curtio, Diodoro Siculo & Arriano, qui Alexandri Magni hiftoriam exſecuti ſunt. Cornua arietina capiti eius in nummis addita cernuntur, & res nota eſt. Ingenioſe doctiſſimus Bochartus ad Cham ſive Ham, filiorum Noæ natu minorem, hoc cognomen refert, qui in ſteriles Africæ arenas ablegatus ibi per multa ſæcula ſub nomine Jovis Ham vel Hammonis cultus ſit, Phaleg. Lib. I. cap. I. & Lib. IV. c. I. Locum, in quo erat templum Ammonis, arietis indicio primis in Aegypto incolis

patuisse, idem ex Hygino, Germanico & Athenagora observat Lib. IV. cap. XXX. Adde Vossium de Idololatria, & Kircherum in Oedipo Aegyptiaco.

ANTONINVS PIVS AVGVSTVS. Caput  
Caracallæ laureatum.

— LAETITIA TEMPORVM. Navis cum plurimis animalibus & quadrigis. Aureus in thesauro Regis christianissimi, & argenteus in cimeliarchio Schvvarzburgico.

Nummi huius, qui rarissime occurrunt, explicatio petenda ex Dione, quod iam observavit Cl. Vaillant Tom. II. Numism. Imp, p. 230. edit. postea & Medio-barbus pag. 275. ubi ob Severi ex bello Parthico reditum, & principatus eius decennium, varia spectacula edita annotat. Locus Dionis Lib. LXXVI. pag. 860. Εγένοντο δὲ καὶ θῆαι πηνικαῦτα παντοδαπαί, ὅππῃ τε τῇ ἀνακομιδῇ τῆ Σιβίρης, καὶ ὅππῃ τῇ δεκαστηρίδι αὐτῶν, καὶ ὅππῃ ταῖς νίκαις. ἐν ταύταις ταῖς θῆαις καὶ σὺς τῶν Πλαυσιανῶν ἐξήκοντο ἄγριοι ἐπιόλαισαν ἀλλήλοισι ὑπὸ πύργου γέλιματῶν. ἐσφάγησαν δὲ ἄλλα τε πολλὰ θηρία, καὶ ἐλέφας, καὶ κροκότις. τῆς δὲ δε-

ξαίδης ἀπάσης τῆς ἐν τῷ θεάτρῳ εἰς πλείε  
 ρῆμα κατασκευασθείσης, ὡς τετραπόσια θηρία  
 καὶ δέξαθαι καὶ ἀφείναι ἀδρόως, ἔπειτα  
 ἐξαίφνης διαλυθείσης, ἀνέθροον ἄρκτοι, λέαι-  
 ναι, πάνθηρες, λέοντες, εἰςθητοὶ, ὄναγροι, βίς-  
 σωνες, (βοῶν τι τῆτο εἶδος, βαρβαρικὸν τὸ  
 γένος καὶ τὴν ὕψιν) ὡς τε ἐπταπόσια τὰ πάν-  
 τα καὶ θηρία καὶ βοτὰ ὁμῶ καὶ ἀλαθιόντα ὀφ-  
 θηνῶν καὶ σφαγήων. πρὸς γὰρ τὸν τῆς ἐορτῆς  
 ἀριθμὸν ἐπταήμερον γαγονίας, καὶ ἐκὼνα ἐπι-  
 κικεῖσθαι ἐγένετο. *Tum edita sunt varia-*  
*quoque spectacula propter reditum Severi,*  
*et decennium principatus eius, ac victorias*  
*quas reportaverat: in quibus spectaculis*  
*apri sexaginta Plautiani invicem certave-*  
*runt, ut erat mandatum, caesque sunt alia*  
*permulta bestia, atque imprimis elephas et*  
*crocota. Earum receptaculum in amphi-*  
*theatro adificatum erat instar navis, ita*  
*ut reciperet quadraginta feras, easdemque*  
*simul omnes redderet: qua ex navi subito*  
*dissoluta exsilierunt ursi, leona, panthera,*  
*leones, struthiones, onagri, bissones; quod*  
*genus boum est, patria et adpectu barba-*  
*rum. Itaque septingenta fera, mansucte-*  
*que bestia simul concurrere, et postea confo-*  
*divisa sunt: occisis enim singulis diebus cen-*  
*tum, pro numero dierum festorum, qui septem*  
*fuerunt, septingenta sunt occisa.*

ANTONINus Pius AVGustus PONtifex  
TRibunitia Potestate VII. Caput Ca-  
racallæ iuvenile laureatum,

—DII PATRII. Hercules & Bacchus  
stantes: ille clavam cum spoliis leoni-  
nis tenet, hic cantharum cum thyrso,  
Ex thesauro Regis christianissimi.

Cusus fuit nummus A. V. C. 957. quo  
Caracalla Tribunitiam Potestatem VII.  
miit, & Ludi sæculares facti sunt; in-  
quorum memoriam plurimi nummi re-  
periuntur cusi cum Bacchi & Herculis fi-  
guris, tanquam præcipuorum ipsius Nu-  
minum; quæ propterea in Severi etiam  
nummis DII AVSPICES vocantur, quod  
eorum auspicio omnia aggrederetur, quo-  
rum etiam in honorem maximum tem-  
plum extruxit, teste Dione Lib. LXXVI.  
pag. 869. καὶ τῷ Διονύσῳ καὶ τῷ Ἡρακλεῖ νε-  
ῶν ὑπερμεγέθη ἀκοδομήσασα. Dii autem  
PATRII vocantur non solum quod pater  
Severus eos summe coleret, sed & in me-  
moriam & honorem Commodi fratris,  
qui Liberum patrem maxime coluit, &  
ipse Hercules videri voluit: ad exemplum  
Caii, de quo Philo de Legat. ad Caium.  
fol. 1003. narrat, ipsum sæpe Herculis &  
Bacchi habitu fuisse usum. Hiñc filii Se-



veri fictam hanc in nummis nobilitatem generis propagare studuerunt: occurrit enim hic typus etiam in Getæ nummis, apud Mediob. fol. 300. 301. 303.

Publius SEPTimius GETA CAESAR PON-  
Tifex. Caput Getæ nudum.

— SEVERI INVICTI AVGVsti PII FILI-  
us. Bustum Getæ adhuc Cæsaris, cum  
capite radiato & dextra extensa.

Hunc nummum in priori Specimi-  
nis mei editione publicaveram ex The-  
sauro Cæsareo Oenipontano; eundem  
nuper vidi in Gaza Serenissimi Electoris  
Brandenburgici, ubi aureorum nummo-  
rum copia numero, raritate & elegancia  
præstantissima adservatur. INVICTI ap-  
pellatio sæpius Severo in nummis tribui-  
tur: INVICTO IMP. INVICTI IMP.  
TROPAEA. INVICTA VIRTVS &c.  
Testatur enim Spartianus eum a nullo  
congressu nisi victorem discessisse; & He-  
rodianus illum *ἐνδοξότατα βιάσασθαι ὅσον  
πρὸς τὰ πολεμικά, τῶν πρώτων βασιλέων,*  
*clarissimum omnium Imperatorum bellicis  
virtutibus*, Lib. III. cap. XV. appellat:  
disertius autem elogium ei cap. VII. reli-

quit: μηδὲν τῶν Σεβήρων μάχαις ἢ νίκαις παραβῆλθεσθαι, μήτε πλήθει δυνάμεως, μήτε ἰδιῶν κινήσεων, ἀριθμῶ τε ὄψατάξεων, ὁδοπορίας τε μήκει καὶ τάχει. *Nihil est quod cum Severi praeliis aut victoriis conferas, sive copiarum multitudinem, sive nationum motus, sive numerum pugnarum, sive itinerum longitudinem celeritatemque consideres.* Eadem INVICTI appellatione etiam censerī voluit vivo parente Caracalla filius, ut patet e nummis capita Severi & Caracallæ præ se ferentibus cum inscr. IMPP. INVICTI PII AVGG. in averſa parte Victoriam gradientem exhibentibus, quæ dextra sertum sinistra palmam gestat, apud Mediobarb. fol. 273. Sed quam fragilis sit, quæ cenſetur *invicta*, mortalium virtus, ipse agnovit & confessus est Severus, dum moriens exclamabat: *Omnia fui, & nihil expedit.* Æthiops etiam, in aula ipsius scurra, indicavit, cum corona e cypressu facta occurrens & adclamans: *Totum fuisti, totum vicisti, iam deus esto victor.* Spartianus cap. XVIII. & XXII.

Hunc nummum Occo retulit ad A. V. C. 954. quo anno Caracalla toga virili a patre donatus, & Geta pontificatum adeptus sit.